



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeio, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

De socijs ad Ignatium adiunctis. Cap. XXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

uiterque dixisset, ad extremum obor-  
tis lacrymis, ad Ignatii genua procidit,  
precatusque delicti veniam, & apud cae-  
teros illum in admirationem gratiam  
que restituit, & ipse in omni deinde vi-  
ta Ignatium & socios precipuo amore  
studioque complexus est.

*De socijs ad Ignatium adiunctis.*

*Cap. XXI.*

**H**Asce igitur, aliasque eiusmodi in-  
sectationes atque pericula Igna-  
tius Christi causa contraxit. attamen i-  
dem plurimorum quoque sibi gratiam  
ac benevolentiam optimis artibus pe-  
perit. Fuit enim in illo, praeter diuini-  
tus infusa charismata, mirum etiam at-  
que efficax ingenium & studium ad a-  
nimos hominum demerendos. In prin-  
cipum amicitias opportune insinuare  
se, eisdemque obsequio & submissi-  
one tueri; pares facilitate ac suauitate  
morum allicere; inferioribus & egen-  
tibus, auctoritate, opera, necnon è suis  
angustijs etiam pecunia praesto esse; mor-  
bo aliquo laborantes vel cum valetu-  
dinis & contagionis periculo adire, so-  
larique;

lariq̄ue amantiſſimè ; eorum quibus cum viueret, agerétve, vel difficultatem naturæ, & arrogantiam perpeti; vel ineptias ac ſtultitiam, quoad ita res ferret, exſorbere diſſimulatione mirabili; ad aliorum arbitrium ac voluntatem, quibuſcumque rebus honeſte poſſet, ſemper accommodare ſe ac ſelectere; omnibus denique in Chriſti gratiam omnia fieri: vbi penitus in hominum ſenſus ac voluntates irrepſerat, tum demum officijs ac benevolentia comprehenſos occupatoſq̄ue, pro ſuo quemq̄ue captu, ſenſim & caute progrediens, Chriſtianæ religionis & officiij præceptionibus excolebat.

Atque hiſ ferme artibus, & ſimul ſanctimonie ac frugalitatis exemplo, multos, vt diximus, à turpi ac flagitioſa vita non modo ad ſobrietatem & continentiam, ſed etiam ad contemptum rerum mortalium, atque ad ſalutaria conſilia Chriſti conuertit. Complures præterea hæreticos, graſſante iam tunc peſte Lutheriana, tempeſtiuis diſputationibus monitiſq̄ue conuiſtos, ad ſacra Quæſitorum tribunalia volen-

len-

lentes adduxit; & cum sancta Romana Ecclesia in gratiam secreta abiuratione restituit. Iam vero, quod ei vel in primis propositum initio fuerat, ut aliquos ingenio doctrinaque praestantes, ad suum institutum ac vitae rationem aggregaret; in id ipsum per Theologiae maxime tempus incubuit; adiunxitque sibi, Deo bene iuuante, iuuenes nouem ex academia vniuersa lectissimos: quorum primus fuit Petrus Faber Allobrox, pago Villareto Gebennensis diocesis humili natus loco, sed egregie pius, quippe qui duodecimo aetatis anno per summum sanctimoniam studium virginitatem Deo vouerat; idemque ad litteras a vita pastoralis ductus, tantum ingenio industriaque profecerat, ut eum in locis Aristotelis difficilioribus magister ipse Penna cōsuleret. Hunc igitur Ignatius & studiorum & contubernij communione sibi coniunctum; licet socium gloriosi operis ipso initio destinasset, non tamen continuo illi rem aperuit, neque ad tantam perfectionem impellere cōfestim aggressus est, sed conscientiam

excutere, & in se ipsum quotidie diligenter inquirere primum edocuit: deinde ad totius antea vitæ noxas per sacram confessionem expiandas adduxit: postremo, cum iam Philosophiæ curriculum exegisset, spiritualibus exercitationibus perpoliuit; adeo propensum ad poenitentiam, tantoque animi ardore succensum, vt hyeme summa, concretum glacie flumen Sequanam plaustris impune prementibus, in separata Iacobæi vici domuncula propositas meditationes, & quidem insidens niui sub dio peregerit, sexque ipsos dies omni prorsus cibo potuque abstinerit, in ediam longius utique protracturus, nisi cum, re animaduersa, consultoque suppliciter Deo vetuisset Ignatius. & sanè respondit operi fructus. Cum enim antea in eligendo certo vitæ genere Faber mira animi sollicitudine, variisque scrupulorum molestiis adeo torqueretur, vt præ nimio angore sese in auias abdere solitudines, ibique radicibus herbarum victitare poenæ decerneret; ex hac spirituali exercitatione vocari se vnà cum Ignatio ad  
ani-

animorum subsidium non dubie senti-  
tiens, tantam est pacem ac tranquillita-  
tem conscientiae consecutus, vt ex ve-  
hementissima tamquam agitatione ac-  
falo, placidum tutumq; portum se de-  
niq; nactum esse profiteretur. Ex eodē  
contubernio Franciscus quoq; Xaue-  
rius nobilis Cantaber, idemq; nō vul-  
gari eruditione, quippe qui laurea ma-  
gistrati donatus Lutetiae postmodum  
publicus Aristotelis interpres extiterit:  
quamquam principio ita non studio-  
sus Ignatii, vt eius pietatem (vt fit) etiā  
procaciter irrideret; tamē viri tum pa-  
tientia, tum obsequijs adeo delinitus  
est, vt ad illius ductum arbitriumque  
sefe omnino contulerit. Hunc & diui-  
tiarum affluentia, & viuido ingenio, &  
viribus corporis praeferoce, admira-  
bili prudentia ac lenitate mansuefecit  
Ignatius, in eamque rerum humanarū  
despicientiam, & caritatis ardorē pau-  
latim adduxit, vt inter ipsa exercitia  
spiritualia, tum ad carnis maceratio-  
nē quattuor dies ieiunus omnino trās-  
egerit; tum vero quod inter iuuenum  
gtes desultor eximius, corporis agi-  
litate

litate sibi nimium placuisset ; ad eius  
piaculum vanitatis, membris valido  
fune perstrictis, non sine acri sensu do-  
loris, dies aliquot in commentandi o-  
randique labore atque attentione per-  
sisterit. Hic est Xauerius ille, qui non  
multo deinde post, Ioannis Lusitaniæ  
regis rogatu, ex auctoritate Pontificis  
Romani missus in Orientem, plenus  
Apostolico spiritu, tota India mariti-  
ma summis laboribus ac periculis per-  
agrata, in vltimas Iaponiorum terras  
Euangelij lumen primus intulit, atque  
ingenti infidelium numero ad Chri-  
stum adiuncto, multis claris miracu-  
lis, in ipso aditu Sinarum excessit è vi-  
ta, Porrò Xauerium & Fabrum imita-  
ti sunt Iacobus Laines Saguntinus, qui  
deinde Societati nostræ proxim⁹ ab I-  
gnatio præfuit, vir de Christiana repu-  
blica in primis optime meritus ; & Al-  
fonfus Salmeron Toletanus, Græcis &  
Latinis litteris admodū eruditus: vter-  
que cōfecto Cōpluti Philosophiæ cur-  
riculo, Parisiosque partim Theologiæ  
causa, partim etiā Ignatij noscēdi gra-  
tia profecti, de cuius laudibus iā tū in  
Hi-

Hi-

Hispania, constanti hominum sermone multa cognouerāt. Accessit ad hos etiam Nicolaus Bobadilla Palentinus, doctus iuuenis, & philosophiam publice professus in oppido Hispanie Pincia: itemque præstanti indole Simon Rodericus Lusitanus: & post aliquanto, Claudius Iaius, & Ioannes Codurius Gebennenses, Paschasiusque Broetus Ebredunensis, Fabri præcipue item Allobrogis (cuius erat nomen Parisijs celebre) monitis & exemplo permoti. Hi omnes, impulsu planè diuino, cum alter alterius consiliū ignorarent, post exactissimam totius vitæ confessionē spiritualibus exercitijs ab Ignatio perquam diligenter exculti, vehementi quadā spiritus motione sese non quidem in vmbra ac solitudinem, sed in solem ac puluerem euocari ad prælia Domini prælianda senserunt. nec fuit è nouem vllus fere, quin ad propitiandum cæleste numen, eiusque volūtatem suppliciter exquirendam; præter cæteram abstinentiam, & incommoda voluntaria, tridui, vt minimū, totius in ediam sponte pertulerit, nimis

nimis audaci fortasse consilio; nisi eos  
 & multorum exempla, & feruor simul  
 ætatis ac pietatis excuset. Hosce igitur  
 socios Dei beneficio nactus Ignatius  
 ( quorum tres erant superstites hæc scri-  
 bente me, Salmeron, Rodericus, & Bo-  
 badilla ) quod iam diu moliebatur &  
 agitabat animo, re ipsa aggredi primo  
 quoque tempore statui t; vt Hierosoly-  
 mas Pontificis Maximi permisso repe-  
 teret; gentesque finitimas Christiana  
 quondam religione præstantes, deinde  
 Mahometis nefaria superstitione de-  
 ceptas, vel à miserabili errore ad verita-  
 tē Euangelij reuocaret, vel certè ( quod  
 erat proximum ) sanguinem ac vitam  
 in causa tam pia, tamque gloriosa pro-  
 funderet. Neq; sane difficile fuit, cæte-  
 ros iam sponte currentes, & Dei amo-  
 re incensos, in eandem sententiam &  
 propositum adducere. & quia pleriq;  
 Theologiæ studia nondū absoluerant;  
 ne interim conceptus ardor animi re-  
 frigeret, & simul vt ipsorum eo gra-  
 tius diuinæ maiestati obsequium esset,  
 quo maiorem sibimet ipsi necessitatē  
 seruitutis ac religionis imposuissent,  
 I implor-

implorato beatissimæ Virginis patrocinio, ac sancti Dionysij Arcopagitarum cuius in tutela Parisij sunt, in æde suburbana, quæ Mons Martyrum dicitur sub confessionis & Eucharistiæ mysteria voto sese obstrinxere singuli, emensis Theologiæ spatijs continuo mortalijs rebus nuntium remittendi, atque in paupertate perpetua seruiendi gloria diuinæ, salutiq; animorum: ac nominatim, ad constitutā diem Hierosolymā eo consilio nauigandi, vt in conuersionem infidelium toto pectore incumberēt; palmamq; martyrij studio se captarent. id consilium si qua impediretur, anni circumactō spatio deniq; Romam adirent, suamq; operam summo Pōtifici, Christi Vicario ad spirituale proximorum auxiliū sine vlla vel præmij pactione, vel temporum aut locorum exceptione deferrent. id votum in eo templo vouere ingenti consensu & alacritate, anno post Christum natum M. D. XXXIV. decimo octauo Kalend. Septembris, quo die Assumptionis MARIÆ Virginis anniuersaria gratulatio celebrata.

bratur, idemque votum eodem loco dieque pariter anno proximo ac tertio renouarunt, atque ea res tum ad conpirationem ac vinculum animorum, tum ad confirmandas in suscepto consilio mentes omnium mirifice valuit. Incendebant praterea studium alter alterius omni genere officij & caritatis, duce ac moderatore simul Ignatio, quem omnes vt parentem eundem & vnice diligebant, & valde reuerebantur. ac primum spirituales modo apud hunc, modo apud illum agitare coetus; ibique suauissima de rebus diuinis habere colloquia, & sese mutuo ad Christianam laudem & decus hortari; deinde in studiorum difficultatibus, locisque obscurioribus adinuare inter se, & lucubrationes quisque suas, lumenque doctrinae & ingenij, cum res exigeret, in commune conferre; praterea inuicem sibi omnibus in rebus adesse certatim; denique a frequenti sacramentorum vsu, & assiduitate precandi meditandique, nullo pacto recedere. quibus rebus & varias demo-

num insidias tentationesque, conan-  
tiū eos ab incepto reuocare, vicerūt;  
& breui tanta coaluere concordia, vt  
quamquam è diuersis, nec non in fens  
inter se orti nationibus, gratia tamen  
superante naturam, intra eosdem alti  
parietes, atque adeo ex vno pro-  
pemodum omnes vtero in  
lucem editi vide-  
rentur.

*LIBRI PRIMI FINIS.*

DE